

## Secunda pars

Id enim inter cetera antiquorum astronomica artificia propter subtilitatem constructionis utilitatum multitudinem; & usus facilitatem peritorum iudicio haud iniuria pluribus nobilitate antefertur. Nos vero qui eius fabricam quam apertissime fieri potuit tradidimus. Impresentiarium ad terminorum (vt premisimus) expositiones & post hac ad utilitates foelicibus astris properabimus. ¶ Astrolabium igitur instrumentum est figurae circularis multiplicibus circulis & lineis descriptum vtile ad astronomiae & geometrie operationes multifarias. ¶ De quo Messahalla in exordio tractatus de astrolabio sic inquit, Scito qd astrolabium est nomen grecum cuius interpretatio est acceptio stellarum; eo qd accipiatur ex eo veritas earum rerum quarum scientia queritur ex locis stellarum; hec ille. Sed hali heben rodan alia nobis astrolabij inducit interpretationem, Scribens, n. in capitulum secundum tertij tractatus quadripartiti Ptolemei pheludiani ita dicit, Prima res in qua debemus considerare est gradus ascendens hora exitus creature iam dicit & hic aperte quia principium ipsius veridicum est in homine & in eo in quo debemus cofidere; & propterea dixit; & potest scire horam exitus creature pro certo qui aspicit per astrolabium; & hoc est instrumentum cognitum. Et dicitur qd primus eius inuentor fuerit Abraham; & dicitur qd fuerit inuentum tpe regis Salomonis filij David vel ante eum. Et dicitur qd quidam qui vocabatur Lab inuenit ipm & astor vel astro vult dicere linea unde vocatum est Astrolabium, idest linea, Lab, hac ille & plura alia vtilia. ¶ Alij interpretantur astrolabium ab astron graeco quod est sy dus & labi ansa vel manubrium quasi syderum ansa, Est enim instrumentum ansam habens per quam suspensum astrorum motus & plura notatu dignissima colligimus. ¶ Hoc preterea instrumentum, Hermannus contractus vocat walzagoram, Inquit enim libro secundo, Quicumq; astronomice peritiam disciplinae & coelestium spherarum, geometricaliumq; mensurarum; altioremq; scientiam diligenti veritatis inquisitione altius rimari conatur; & certissimas horologiorum quorumlibet climatuum rationes & que libet ad haec pertinentia industrius discriminare nititur hanc walzagoram, idest planam spheram Ptolemei siue astrolapsum solerti indagacione perquirat & discat & perquisitam tenaci memorie firmiter comendet &c. walzagora igit arabice sonat plana sphaera vel planispherium aut astrolapsus latine. ¶ Ptolemeus appellat astrolabium planam spheram aut planispherium ex eo qd sit quasi sphaera extensa in plano. ¶ Astrolapsus quasi astrorum occasus vel lapsus per astrolabium em non solum ortum signorum & stellarum dinoscimus verum etiam occasum, Simile apud Ouidium primo Fastorum, Tempora cum causis latium digesta per annum, Lapsaq; sub terras oraq; signa canam.

¶ Descripto astrolabio vt perfectius & absolutius eius habeatur operatio nomina partium eiusdem (sunt quidam plures) fm ordinem describemus. ¶ Prima igitur pars dicitur Armilla suspensoria & est illud instrumentum per quod astrolabium suspeditur ad capiendum altitudinem Solis de die vel stellarum de nocte; & dicitur arabice Alanthica vel Alphantia aut Abalhantica, Secunda pars vocatur Arabice Alhabos, idest ansa vel clauus qui coniungit Armillam cum astrolabio, Volunt quidam qd sit foramen concavum factum in aliquibus astrolabijs in quo armilla mouetur; De his supra ppositioe septima abunde diximus. ¶ Superficies plana in qua est mater a veteribus antica a nostris facies nominatur, Alia vero postica & dorsum, In extremitate faciei per circuitum est limbus, In aliquibus instrumentis eleuatus in aliquibus non Arabice Alnogiza dicitur.

Astrolabium  
definitur,

Astrolabium  
est inuentum,

walzagora

Armilla sus-  
pensoria,

Facies Antica  
Postica Dorsum  
Limbus,